26

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICO-CHIRVRGICA,

SISTENS

CASVM DE SPHACELO SCROTI OBSERVATO ET CVRATO;

QVAM

DEO T. O. M. DVCE ET AVSPICE,

RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO

REVERENDISSIMO ET AMPLISSIMO DOMINO,

DN. PLACIDO,

REGALIS MONASTERII S. S. APOSTOLORVM PETRI ET PAVLI ORD. S. BENEDICTI INTRA ERFORDIAM ABBATE; PRÆPOSITVRÆ ZELLENSIS ET IN FRANCKERODA AD VVERRHAM DOMINO, S. FACVLT. THEOLOG. ASSESSORE PRIMARIO, ETC.

AVTORITATE ET CONSENSV GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ IN PER - ANTIQVA HIERANA

SVB PRÆSIDIO

LAVDATISSIMI ORDINIS MEDICI DOMINI DECANI ET SENIORIS

DN. D. JOH. ANDREÆ FISCHERI,

CONSIL. ET ARCHIATR. ELECT. MOGVNT. PATHOLOG. ATQVE PRAX. PROF. PVBL. PRIM. NEC NON MED. PROVINC. DVCAL. ISENAC.

PATRONI AC PROMOTORIS SVI COLENDISSIMI,

PRO GRADV DOCTORIS

UNACVM PRIVILEGIIS ATQVE IMMVNITATIBVS HVIC DIGNITATI ANNEXIS, LEGITIME OBTINENDO,

PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTET

AVTOR ET RESPONDENS

JOH. FRIEDER. FRITSCHE, Oederano-Miſnicus,

IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS, HORIS CONSVETIS.

D. XIV. OCTOBRIS, A. R. S. M DCC XXVIII.

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

SPECTATISSIMO

VRBIS DOEBLENSIS INCLYTÆ MAGISTRATVI CIVICO,

VIRIS

PRÆNOBILIBVS, AMPLISSIMIS, EXPERIENTISSIMO, JVRIS VTRIVSQVE PERITISSIMIS, PRVDENTISSIMISQVE,

DOMINIS

CONSVLIBVS, PRÆTORIBVS,

ET

ASSESSORIBVS,

PATRONIS ATQVE FAVTORIBVS SVIS ÆSTVMATISSIMIS

ET

RESPECTIVE FILIALI PIETATE COLENDIS,

THESES HASCE INAVGVRALES, AD SIGNIFICANDAM OBSERVANTIAM SVAM, SVI SVORVMQVE STVDIORVM COMMENDATIONEM, VNA CVM PIO PERENNANTIS FELICITATIS, SANITATIS, INCOLVMITATIS VOTO, OFFERT, ET PERQVAM OFFICIOSE

D. D. D.

AVTOR

JOH. FRIDER. FRITSCHIVS.

PROOEMIVM.

HOminis in hac vita conditionem, licet ea externo aſpectu interdum feliciſſima putetur, miſerrimam omnino eſſe, nemo certe ignorat, vel negat: Quam primum enim ille ex materna eluctatus alvo oras vitalis luminis tangit & prima vitæ elementa haurit, fletibus ſtatim & lachrymis ſibi ipſi quaſi triſte format præſagium, nullum inpoſterum diem, nedum horam ita ſerenam futuram, quam non innumeræ aliæ dolorum & afflictionum morboſarum nebulis obfuſcatæ excipiant, donec tandem corpus ærumnis hiſce defatigatum mortis victima evadit. Hinc non immerito

HERACLITVS miſeriam iſtam humanam diligenti mentis indagine ſecum reputans, indeſinenter deſuper in lachrymas erupit, id quod etiam procul dubio omnibus illis eveniet, qui ſingula illa calamitatum genera, morborumque tyrannidem & carnificinam, quibus quotidie fere homines obnoxii ſunt, cum tacita quadam revolvunt cura, ſiquidem nemo certe horum adeo feræ & ferreæ unquam erit Naturæ, qui triſtiori huic fato pariter non indoleat & animum ſuum itidem mœrore & triſtitia conficiat.

Licet autem morborum, genus humanum his in terris continuo quaſi diſcruciantium, infinitus ferme ſit numerus, & ante aliquot jamjam ſecula trecenta illorum genera, exceptis generum ſpeciebus, conſtituerit PLINIVS; nullus tamen ex iis indole pernicioſior, aſpectu deterior & horribilior, curatuque difficilior inveniri poterit, quam SPHACELVS: Hic namque licet leviſſimam ſæpius cauſam originis loco agnoſcat, nunquam tamen cum parte in qua ſemel ſeſe exerit contentus eſt, ſed inſuper quoque intra breve temporis ſpa-

tium

tium vicinas hactenusque illæſas pariter occupat & ſucceſſive depaſcit, ſicque longe lateque ſerpendo tandem utplurimum lethalem ſuperinducit effectum, niſi ferro & igne aliisve heroicis medicamentis pernicioſa hæc ejus activitas tempeſtive reſtinguatur.

Harum ergo circumſtantiarum intuitu, placuit impræſentiarum mihi ad altiora adſpiranti loco ſpeciminis inauguralis, periculoſiſſimi iſtius affectus indolem & therapiam, occaſione ſpecialioris cujusdam caſus de SPHACELO SCROTI a me in Ducatu Curlandiæ obſervato & auxiliante divini Numinis gratia feliciter curato, paulo uberius explanatam, eruditorum cenſuræ ſubjicere, quod ut feliciter evenire jubeat Deus T. O. M. cordicitus precor.

CASVS.

Vir quidam Germanus ſatis robuſtus, mediæ adhuc ætatis, nomine Krauſius, artificio textor, abhinc aliquot jam annos in aula Pormſatenſi Generoſi Domini de Rommel degens, anno MDCCXXIV. negotium quoddam ſibi commiſſum ſedulo ac properanter expediturus, iter paucarum licet horarum, absque ephippio equitans, confecerat. Inde domum rediens deprehendit in inferiori ſcroti regione exiguam & rubello colore leviter tinctam puſtu-

 lam

lam à continua hujus partis attritione & concuſſione inter equitandum forte concitatam, valde prurientem & ſenſum obtuſum formicantem excitantem, pro qua moleſtia avertenda & removenda, cum mediante induſio regionem iſtam continuo fere & fortaſſe paulo immoderatius fricaret, tantum abfuit, ut eam hac ratione leniverit, quin potius ita adauxerit, ut brevi poſt, loco tolerabilioris iſtius pruritus, dolores ardentes & punctorii vehementiſſimi, cum inſigni ſcroti tumore & rubore, ſuccederent. Ad hos ergo demulcendos proprio partim auſu, partim aliorum ſuaſu applicavit varia epithemata calida pariter ac frigida, humida & ſicca, unacum variis aliis empiricis medicamentis, mirum quidem in modum deprædicatis, ſed ad tollendum moleſtiſſimum hoc accidens plane incongruis, ejusque vehementiam & periculum magis augentibus, quam minuentibus. Paucis enim abhinc elapſis horis & tumor & dolor ita ingraveſcebant, ut nec pedibus amplius inſiſtere, nec progredi, ob inſignem partis hujus diſtenſionem, potuerit; hinc in lectum ſeceſſit quietem atque levamen ibidem quæſiturus, aſt, irrito pariter cum conatu, quoniam prioribus iſtis incommodis brevi poſt inflammatio gangrænodea superveniebat, hancque tandem Sphacelus perfectus excipiebat, ubi, cum totum ſcrotum non ſine inſigni animi ſtupore atra nigredine perfuſum & innumeris minoribus veſiculis obſitum conſpiceret, me tandem, ut conſilio auxilioque ipſi aſſiſterem, imploravit.

RESOLVTIO CASVS.

§. I.

CVm favente & benedicente Divino Numine, valente cæteroquin ægrotantis Natura, ſedula ac indefeſſa

mea

mea opera atque prompto ipſius patientis obſequio tandem hic, elapſo trium ſeptimanarum ſpatio, ſanitati priſtinæ feliciter reſtitutus ſit, adeo, ut non ſolum commodiſſime incedere, ſed & uxori ſuæ, quæ ſubſequente ſtatim anno filium ipſi peperit, in officiis matrimonialibus exacte ſatisfacere potuerit; hinc antequam remedia in- & externe applicata atque obſervatam medendi methodum nunc convenienti ordine tradam, prius more in ſcholis recepto, ſigna affectus noſtri diagnoſtica, ſubjectum ſeu partem affectam, cauſas, definitionem, prognoſin atque reliqua huc ſpectantia exponenda & illuſtranda erunt.

§. II.

Laboravit enim meus olim ægrotus, prout non ſolum Diſſertationis frontiſpicium, ſed & pluribus præmiſſa hiſtoria ſatis exacte id docent, SPHACELO in Scroto occurrente, in cujus affectus fœdiſſimi conſiderationem realem antequam deſcendam, paucis prius ejus nomen enodabo, quoniam ex hujus interpretatione rei ratio tanto melius eluceſcit.

§. III.

Sphaceli igitur vox origine græca eſt ἀπὸ τοῦ σφάζειν ſeu σφάττειν, *jugulare*, *interficere*, denominationem accepit, quoniam ille ordinarie, ubi ſemel altas egit radices, ſubjecta cito quaſi jugulat & interficit; hinc etiam quibusdam dicitur σφάκελος quaſi σφάγελος à σφαγὴ, *jugulatio*, *mactatio*, *cædes*, ob eandem rationem, teſte LIBAVTIO *in Aphor. Hippocr. Sect. VII. Aphor. 50.* & SCALIGERO *Lib. V. Exercit.* Variis autem modis communiter idem illud vocabulum inter eruditos accipitur, & quidem

ab

ab aliis in *improprio*, ab aliis vero in *proprio ſenſu* ſumitur: *Improprie* modo pro *Herba Salvia mare*, apud *Theophr. Ereſium Lib. VI. de hiſt. plantar. cap. 6.* modo pro particulari illa Apoplexia, quam *Paraplegiam* vocamus, apud *Æſchilum;* modo denique pro peculiari quodam morbo arborum, ubi radices ipſarum emoriuntur atque nigreſcunt, apud *Ariſtotelem*, uſurpatur: *Proprie* e contra denotat *Sphaceli* vocabulum actualem & perſectam *mortificationem* ſeu *corruptionem putredinoſam*, hanc vel illam corporis noſtri partem paulatim invadentem & in adjacentes ſimul partes cito ſeſe diffundentem, notante hoc inprimis GALENO *Comment. in Hippocr. Aphor. Sect. VII. Aph. 50.* & tunc communiter *latius* ſumta hæc vox putredinem & mortificationem partis cujusdam mollioris *incipientem* ac fientem, quæ Gangrænam ſimul præſentem ſub ſe comprehendit, indicat, atque interdum etiam pro dolore vehementiori, qui partem talem ad corruptionis periculum deducit, juxta *Hippocr. Aphor. 7. Sect. II.* vel etiam pro oſſium corruptione ſeu *carie*, juxta *Galenum. 14. Meth. med. 17.* ſumitur; *ſtricte* vero acceptus Sphacelus ſiſtit plenariam ac perfectam mortificationem, quæ jam *in actum* deducta eſt, partes quascunque invadit eoque ipſo efficit, ut corrupta ſic ipſarum ſubſtantia inſimul motus & ſenſus ibidem ceſſent ac penitus tollantur, quæ omnia cum in Caſu ſupra deſcripto itidem occurrant, haud obſcure innuunt, quod in ultimo iſto ſenſu nunc præcipue accipiendus & pertractandus ſit hicce affectus.

§. IV.

De reliquo, ratione *Synonymiæ* varia quoque periculo-

culoſiſſimo huic morbo competunt nomina: Græcis enim dicitur σφάκελος, σφακελισμὸς, ἐσθιόμενος, νέκρωσις & καρκίνωμα; Latinis audit *Sideratio, Corruptio, Putrefactio, Mortificatio*,&,retento ac transſumto ipſo vocabulo Græco, *Sphacelus*. Ab AVICENNA *L. IV. tr. 1. cap. 5.* corrupte *Aſcachilon* dicitur; a veteribus *Ignis S. Antonii* vel *Sancti Marcelli* appellatur; à noſtris vero Germanis der kalte Brand / das kalte Feuer / die Erſterbung / ꝛc. vocatur.

§. V.

Antequam autem nunc ad ſpecialiorem ſphaceli quoad ſigna & cauſas deſcriptionem progredior, utique monendum eſſe duco, quod adhuc aliæ, præter *putredinoſam*, quæ in eo occurrit, dentur & obſerventur *corruptionis* ſpecies, ex quibus *ſuppuratoriam* & *cancroſam* inprimis nunc allegare placet, quoniam hæ quoad externam ad minimum faciem cum ſphacelo ipſo quodammodo conveniunt, adeoque probe attendendum eſt ne forſitan cum eo confundantur: *Suppuratoria* enim ſeu *ſimplex corruptio* plerunque ratione cauſæ antecedentis mediatæ & ſubjecti cum *putrida corruptione* convenit, dum utraque ex prægreſſa quadam ſtaſi ſanguinea primam originem capit, atque uſitatius in partibus ſanguiferis, muſculoſis ac fibroſis mollioribus ſeſe exerit; aſt, differunt nihilominus ſatis exacte à ſe invicem 1.) *impetu congeſtionis humorum*, quæ vehementior ſemper & gravior eſt in Sphacelo, quam in ſimplici corruptione, eaquepropter in illo ſemper gangrænoſam, in hac vero mitiorem tantum inflammationem antecedenter excitat; 2.) *quantitate ſtaſeos*, quæ major ſemper eſt atque in latitudinem & profunditatem magis diffunditur

in Sphacelo, quam in ſuppuratione, cujus intuitu dein ille etiam præ hac majorem ſemper ambitum habet; 3.) *progreſſu ipſo & procedendi modo*, dum Sphacelus ordinarie præter partes muſculoſas etiam vicinas exſangues ſenſim corripit, easque erodendo & depaſcendo intra breve tempus usque ad oſſa devorat, & quidem ob defectum perpetui aditus & tranſitus ſubtilioris ſanguinis per partem affectam, indeque eo magis acceleratam putridam corruptionem portionis jamjam coagulatæ, quæ vero in ſuppuratione deficit, quia per motum ſanguinis continuo tranſeuntis tenuiſſimæ & ſubtiliores ♆eæ partes continuo à portione ſtagnante auferuntur & abſterguntur, eoque ipſo efficitur, ut ſuppuratio in partes exſangues nullum plane locum habere queat, ſed intra muſculoſas potius incluſa maneat.

§. VI.

Cum *cancroſa corruptione* videtur itidem aliquo modo convenire *ſphaceloſa*, eo quod utraque non uni cuidam loco incluſa maneat, ſed latius evagetur, partes vicinas ſimul corripiat, easque ſimiliter depaſcat, ac inſuper actualem ſemper putredinem inferat; ſed differunt his non obſtantibus à ſe invicem 1. ratione *partium affectarum*, quæ in ſphacelo membranoſæ utplurimum & carnoſæ, in cancro autem unice glanduloſæ ſunt; 2. ratione *cauſæ materialis* ad formandam neceſſariæ, quam in priori affectu ſanguis craſſior, in poſteriori autem lympha cum ſero inquinata conſtituit; 3. ratione *progreſſus*, qui in illo citior atque celerior ob largiorem principii ♆ei in ſanguine præſentiam, in hoc vero tardior eſt, ob pinguiorem lymphæ conſiſtentiam

cum

cum ſero acriore inquinatam, cujus indoles ſalina omnem præcipitem corruptionem impedit atque avertit, ut propterea Medicorum quidam, cancrum titulo der eingeſalßene kalte Brand/ inſignientes, non inepte fecerint, quoniam in formalibus à ſphacelo nihil fere differre obſervatur.

§. VII.

His ita præmiſſis nunc ad *Signorum* affectui noſtro propriorum enumerationem me converto, cui non immerito Diagnoſin *gangrænæ* præmittendam eſſe cenſeo, partim quia ambo hi affectus hujus tantum ratione ab invicem diſcrepant, partim etiam, quia usque adeo arcte inter ſe conſpirant, ut ſphacelus ſemper fere gangrænam antecedentem requirat, ſicque incipientis ſphaceli ſigna & accidentia cum iis, quæ gangrænam comitantur quodammodo quaſi permixta ſint & propterea non immerito conjunctim recenſeri queant. *Gangrænæ* igitur præſentiam annunciant inprimis tumor in parte jamjam inflammata durior, extenſus & rubore ſaturatiſſimo ac interdum obſcure nigricante tinctus, radios ſimiliter intenſe rubeſcentes maximeque æſtuantes quaquaverſum ad partes adhuc illæſas & ſanas diſpergens, easque pariter ac ipſam regionem jamjam affectam cum ardore exquiſitiſſimo fereque intolerabili, nec non doloribus gravioribus ſpaſticis & lancinatoriis, mirum in modum diſcrucians; huic ſuccedit, præcipue in ulceribus ac vulneribus profundioribus partium nervoſarum, color flaveſcens, qui brevi poſt, ingraveſcente malo, cum diris & immaniſſimis cruciatibus, in fuſcum & liveſcentem abit, & tunc exoriun-

tur hinc inde puſtulæ variæ ichore quodam loturam carnium referente, turgentes, calor fit ſucceſſive remiſſior, pulſus debilior, dolor mitior, hacque ratione pars iſta inſenſibilis reddita tandem ad mortificationem tendit.

§. VIII.

Signa autem *ſphaceli* diagnoſtica quod attinet, cognoſcitur ratione temporis *Sphacelus in fieri*, ſeu *incipiens*, ſi doloris, ruboris, tenſionis, pulſus arteriarum ac caloris accidentia in parte affecta ſunt intenſiora, quam quidem ſub ordinariis inflammationibus & ſuppurationibus eſſe ſolent; *augeſcens* annunciatur, quando omnia hæc ultrò intenduntur, ſenſusque poſtmodum inopinatô magis obtunditur, color in pallidum ac fuſcum alteratur & veſiculæ minores & majores undique in parte affecta exoriuntur; *confirmati* denique ſeu jam jam *facti* atque perfecti ſphaceli ſigna ſunt caloris vitalis in parte affecta plenaria ablatio & in frigus mutatio, color ejusdem circa centrum fuſcus & modo magis modo minus nigricans, circa peripheriam vero pallidus atque â florida ſua ordinaria conſtitutione alienus, ſub quo inſimul tota iſta regio tumida, mollis & cadaveroſa apparet absque ullo arteriarum pulſu, dolore atque ſenſu, quippe qui omnis tandem perit, adeò ut æger etiam inciſiones ſcalpello ibidem factas minime percipiat, neque ex iisdem poſtmodum ſanguis ſincerus, ſed ichor tantum cruentus profluat, Proinde obſervamus etiam ſub tali ſtatu, quod, ſi digitus in regionem ita affectam imprimatur, ille non facile decedat in profundum, nec poſtea reſiliat & relevetur, nec

etiam

etiam foveam relinquat, quin potius cutis a ſubjacente carne abſcedat, ipſa portio immediate affecta dein præcipiti greſſu in fœtidam manifeſtiſſimam putredinem ruat, adeo ut non ſolum mollis evadat, & colliqueſcat, ſed & adeo cadaveroſum & putrilaginoſum acrem halitum de ſe ſpargat, quem ægri pariter ac adſtantes vix perferre poſſunt. Progreditur poſtmodum putrida hæc corruptio in partes vicinas, & quidem tam celeri utplurimum greſſu, ut niſi citiſſime eidem occurratur & noxia ejus activitas ferro & igne tempeſtive infringatur, brevi poſt totam Microcosmi machinam penitus deſtruat, ægrumque ſine ulla ſalutis ſpe e medio tollat.

§. IX.

Hac interim ratione ex modo recenſita Hiſtoria & iis, quæ ſupra dicta fuerunt, ſufficientur nunc liquet, quod *Subjectum* peſſimi hujus mali conſtituant omnes corporis noſtri *ſolidæ partes*, maxime vaſculoſæ, tendinoſæ, ligamentoſæ, nervoſæ, membranoſæ & muſculoſæ, exceptis tantum glanduloſis, quibus *cancroſa*, & oſſeis, quibus *carioſa* non niſi corruptio ordinarie competunt; hinc cum GALENO gangrænæ in carnoſis tantum & ſphacelo in ſpermaticis ſolummodo partibus ſedem propriam aſſignante, minime conſentimus, quoniam præter experientiam quotidianam inſuper ex innumeris Practicorum celeberrimorum obſervationibus abunde jamjam demonſtratum eſt, quod ſingulæ fere internæ pariter ac externæ corporis partes tam gangrenæ quam ſphaceli acceſſibus libere pateant; ſic ex HELMONTII & BARTHOLINI relationibus

conſtat, quod in peſte ſæpius *Cor* ſphacelo tactum & escharoticum appareat; modernorum ſectiones anatomicæ demonſtrant, quod in dyſentericis *Inteſtina*, in phreniticis *Cerebrum* & in aliis alia viſcera ſiderata & ſphaceloſa appareant; Chirurgorum curationes confirmant, quod præcipue poſt perpeſſas graviores violentias & profundiores læſiones, corporis non ſolum extremitates, ſed & ſpecialiſſimæ ejusdem regiones, pectus nempe, hypochondria, inguina, perinæum, anus, pudendum muliebre & *Scrotum* ſphacelo corripiantur, quemadmodum quod ultimo nominatam partem attinet, præſens hic caſus novum quaſi teſtimonium perhibet, quod & ea haud raro *ſubjectum* peſſimi iſtius mali conſtituat id quod ut eo melius appareat, paucis nunc, antequam ad cauſarum enumerationem progrediar, ejus ſtructuram & conſtitutionem anatomicam luſtrare placet.

§. X.

Scrotum igitur eſt burſula illa duplicata peni annexa, ſeu commune integumentnm organorum ſeminalium in virili ſexu, ſive teſticulorum in ſtatu naturali foris extra abdomen propendentium, quo illi laxius cinguntur, in moderato calore conſervantur, & ab externis quibuscunque injuriis quadantenus defenduntur. Conſtat hæc pars ordinarie ex triplici membrana, cuticula nimirum, cute & panniculo tenuiore carnoſo, venis & arteriis copioſis undique referto, *dartus* dicto, cujus ope illa præcipue, burſæ ad inſtar, corrugatur & quodammodo conſtringitur, ut partes ſibi incluſas tanto melius fovere queat. In infima ejus parte exterius linea

quæ-

quædam ſecundum longitudinem excurrens & ſacculum huncce in dextrum & ſiniſtrum latus dividens, a figura inter Anatomicos *Sutura* dicta, conſpicitur, cum qua interius correſpondet *ſeptum*, ex duplicatione darti compoſitum, cujus beneficio ſcrotum a recentioribus in duos ſingulares lobulos diſtingui ſolet. Veteres enim illud ex ſimplici atque unico ſacculo conſtare putarunt, & id circo externo aſpectu decepti, homini *unum* tantum ſcrotum aſſignarunt; ſed Neoterici poſtmodum & inter hos præcipue Celeb. RUYSCHIUS & RAVIUS, exactiſſime demonſtrarunt, ſcrotum hominis bifidum & duplici diſtincta cavitate inſtructum eſſe, quam membrana ejus carnoſa, *dartus* nempe, ibidem efformat, dum ab utroque latere penis in duos ſacculos ſphæricos, qui ſe invicem in medio contingunt, expanditur, ita tamen, ut modo dictæ illæ partes ſe invicem contingentes facili admodum negotio ſub ſectione & præparatione anatomica divelli ac ſeparari queant, prout hoc fuſius demonſtratum & uberius explicatum proſtat in *Actis Eruditor. Lipſienſ. Ao. 1700. Menſ. Majo pap. 232. ſqq.* Confer. etiam VERHEYEN *in Anatom. Tract. II. cap. 19. p. 159.*

§. XI.

Habet interim hæc pars ſua non ſolum *vaſa ſanguifera*, arterioſa ac venoſa, nutritioni ejusdem maxime inſervientia, ſed & *nervos* ſenſibilitatem neceſſariam eidem conciliantia, quorum illa a pudendis & hypogaſtricis vaſculis originem ſuam inprimis capiunt, hi vero maximam partem ex oſſe ſacro prodeunt & in minu-

nutiſſimos ramulos ſuper membranam muſculoſam ſe ſe diſpergunt. *Magnitudo* ejus ordinarie teſticulis ibidem comprehenſis accommodata ſatisque proportionata & moderata eſt; in ſtatu autem præternaturali, ob ſubſtantiam membranaceam expanſioni pariter velificantem, interdum nimium quantum augetur, præcipue in iis, qui Hydrocele, Sarcocele & Enterocele laborant, ubi ad ſtupendam usque molem ſæpius exteditur, teſtantibus id & per varia exempla confirmantibus PLATERO *Obſ. Medic. Lib. III. pag. 755.* BARTHOLINO *Epiſtol. Med. Cent. III. Epiſt. 10. & Cent. IV. Epiſt. 92.* HOFFMANNO *in M. N. C. Dec. II. Ao. VII. Obſ. 42.* HANNÆO, *l. c. Dec. II. Ao. VIII. Obſ. 114. in Schol.* SCHVRIGIO *Spermatolog. Cap. II. pag. 80.* aliisque, quibus jure meritoque etiam accenſendus venit Clariſſ. THEVENOT qui in *Itinerario ſuo Part. II. Lib. I. cap. 9. p. 63.* plerisque maribus in Ægypto ſcrotum ſæpiſſime, ob excreſcentiam quandam carneam, decem, viginti & plures interdum libras pendentem, in immenſam magnitudinem excreſcere, imo ad pedes ſeu calces usque quandoque extendi, refert.

§. XII.

De reliquo ſolet etiam interdum contingere, ut ſub eodem ſtatu p. n. ſcrotum, præter teſtes, calculos modo majores modo minores, pauciores aut copioſiores contineat, qui quandoque poſt peractam Lithotomiam ibidem remanſerunt & per plures annos delituerunt, ſæpe vero etiam per ſe ibidem geniti fuerunt, & in ſubjectis ita afflictis vehementiſſimos cruciatus excitarunt, prout hoc ex obſervationibus HILDANI

Cent.

Cent. VI. Obſ. 51. BLEGNY *Zodiac. Med. Gall. Ao. IV. Menſ. Febr. Obſ. 4.* RIEDLINI *Obſ. Med. Cent. III. Obſ. 46.* & BLASII *Obſervat. anatom. pag. 131. ſqq.* nec non *ejusd. Obſerv. Med. Part. VI. Obſ. 25.* ſufficienter liquet. Non infrequenter etiam accidit, ut ſcrotum plane deficiat, nullumque ejus ac teſticulorum incluſorum veſtigium ſtatim a nativitate appareat, qualia exempla Excell. BAVSCHIVS *in Tr. de Ætite pag. 7.* & PAVLINI *Obſerv. 77.* recenſent; aut, ut remanentibus teſticulis, a morbo, inprimis autem ſphacelo conſumatur & auferatur, quale quid etiam in noſtro caſu accidit, ubi tamen hoc peculiarem meretur attentionem, quod tunc, juxta *Stalparti van der Wiel* relationem *Cent. I. Obſerv. 85.* recens illud ſcrotum, quod priori ſubnaſcitur, glabrum omnino appareat, rugas nullas exhibeat, tamque arcte teſtes contineat, ut in principio poſt curam vix loco moveri queant, id quod pariter quoque in noſtro obſervatum fuit ægroto.

§. XIII.

His ita quoad *Subjecti* ſpecialioris conſtitutionem prælibatis, nunc ad *Ætiologiam* truculenti hujus affectus progredior, in qua equidem non lubet antiquiorum pariter ac recentiorum quorundam veſtigia indiſcretim legere, & cum iisdem culpam omnem inducti ſphaceli in venenatos modo vapores & exhalationes, modo etiam in aciditatem volatilem aut ſanguinis acrimoniam corroſivam & ſpirituum vitalium ſuffocationem, conjicere; quin eo potius annitar, ut ſincerum, genuinum, ſimplicem ac evidentem cauſandi modum, pro virium ſat tenuium modulo, ſiſtam.

C §. XIV.

§. XIV.

Cauſam igitur *materialem remotam*, quæ prima quaſi fundamenta ſphaceli, cæteris paribus, ponere ſolet, conſtituit *Sanguis*, utpote omnium humorum in corpore noſtro exiſtentium, ad recipiendam & inducendam corruptionem putredinoſam, facilimus & maxime diſpoſitus: Hujus enim mixtio ob principii ♀ei & aquoſi largiorem quantitatem ita ſane comparata eſt, ut a leviſſima qualibet cauſa, quæ motum ejus liberum vel impedit, vel plane intercipit, diſſolvi & ad concipiendam putredinem diſponi queat. *Cauſa antecedens propior* conſiſtit in collectione & actuali ſtaſi portionis cujusdam ſanguinis intra partes muſculoſas & membranoſas facta, quæ, ob defectum liberi affluxus & tranſitus ſanguinis ſubtilioris, tanquam conſueti ſui actus conſervatorii, quo tenuiſſimæ ſemper & putredinem inprimis accelerantes particulæ continuo abſterguntur & auferuntur, tanto facilius perfectam iſtam corruptionem concipit, eaque poſtmodum reliquas etiam partes adjacentes ſucceſſive inquinat & inficit, ut tandem, niſi cito eadem per convenientia conſilia & auxilia reſtinguatur, immanes inter cruciatus & æſtum quaſi igneum, omni ſenſu motuque deſtitutæ emoriantur atque putreſcant & quidem ob inductam hac ratione totalem mixtionis tam ſolidarum quam fluidarum diſſolutionem & deſtructionem, quæ propterea etiam peſſimi iſtius mali *cauſam proximam* conſtituit.

§. XV.

Formalis autem *cauſa* repentini non ſolum ingreſſus, ſed accelerati quoque progreſſus in ſphacelo ſemper occurentis, ex ipſius principii vitalis vel omnimodo

in

in parte affecta defectu, vel impedita energia, qua mediante aliàs motibus vitalibus, fermentativo & locali, digeſtioni humorum vitali, atque caloris naturalis conſervationi proſpicit, deſumenda erit. Etenim, dum ſub putrefactione fluidorum mixtio invertitur, reſolvitur, corrumpitur, & ſolidarum partium ſtructura priſtina deſtruitur, fibræque motrices eroſæ in circinnos reſiliunt, non poteſt non ſubſtantia iſta ætherea elaſtica ab influxu arceri, & ab exhalantibus particulis ſulphureis corruptis, horrendum fœtentibus, ita ligari, ut in narcoſin quandam conjiciatur, adeoque partem affectam negligat; unde malo ulterius ſerpendi occaſio datur ampliſſima.

§. XVI.

Cauſarum procatarctiarum ſeu *occaſionalium* plures utique ſunt, atque e claſſibus *rerum naturalium, non-naturalium* & *præter-naturalium* potiſſimum deſumendæ: Ex *naturalibus* enim, teſtimonio GALENI *Lib. de Tumor. p. n. cap. 7. ſqq.* multum huc facit *temperamentum Melancholico-Cholericum*, ob ſanguinis ſpiſſioris ad inducendas ſtaſes proclivitatem & principii ♆eo-☋ſi, putredinem præcipue accelerantis, abundantiam; quorſum etiam accedit *ætas*, tam tenerior infantilis, quam decrepita ſenilis, nec non *ſexus*, cujus intuitu fœminæ, ob texturam corporis teneriorem viresque debiliores eadem ratione, uti infantes & ſenes, frequentius huic malo expoſitæ obſervantur. Ex *nonnaturalibus* rebus primo huc referendus eſt *Aer*, inprimis frigidior humores plus juſto inſpiſſans & ad frequentiores ſtaſes communiter diſponens; hinc novimus quod hyeme nimia glacie, nive &

aquis onuſta, in iſtis maxime regionibus, ubi frigus intenſius ventique boreales rigidiſſimi prædominantur, nempe in Islandia, Norvagia, Grönlandia, Livonia, Montibus Alpinis, &c. frequentiſſimum ſit hoc malum, ſuamque tyrannidem ſi non in partes majores, ſaltem in minores à ſanguinis commeatu magis excluſas, aërisque inclementiæ ſæpius exponendas, v. g. aures, naſum, digitos, &c. exerat, quemadmodum etiam aer intenſius æſtuans & calidior ſimilem interdum noxam infert, præſentibus maxime vulneribus & læſionibus partium profundioribus, diſponendo nimirum ſanguinem & humores ibidem confluentes ad majorem orgasmum & ebullitionem fermentativam, quam putrida tandem corruptio non raro excipit.

§. XVII.

Proinde etiam ſymbolum ſuum addunt *cibus & potus*, maxime frigidus, craſſus, acris & acidus, unacum *motu* & *quiete*, *ſomno* atque *vigiliis* ultra mediocritatem excedentibus, quippe quibus ſanguis ad majorem non modo ſpiſſitudinis gradum deducitur, ſed & in craſi ſua laudabili usque adeo depravatur, ut ſi ſemel ſtaſin perfectam concipiat, utique facilius in putredinem actualem ruat; hinc refert HILDANUS, quod incolis maris Baltici & reliquis Septentrionalibus, ob ſicciores, induratos ſalſosque cibos, quibus ordinarie utuntur, gingivæ ſæpius gangrænoſæ fiant atque putreſcant. Nec omittenda etiam ſunt *animi pathemata*, terrores inprimis modo à ſpectris, modo per inſomnia nocturna concitati, confirmante hoc & notabili quadam obſervatione illuſtrante ROLFINCIO *in Ord. & Meth. med. ſpec. Lib. II.*

cap.

cap. 105. His etiam accenſenda ſunt *excreta & retenta*, hæmorrhagiæ nempe vel immodicæ & exceſſivæ, ſanguinem laudabilem è partibus & viſceribus educentes & craſſiorem relinquentes, vel intempeſtive cohibitæ & ſuppreſſæ, ſanguinis reſtagnationes & congeſtiones immoderatiores circa interna maxime viſcera exiſtentes, quæ, deficiente tempeſtiva diſcuſſione, facilime putredinem ibidem concipiunt, quale quid etiam evenit ex neglecta repurgatione ulcerum & eductione putridæ & acrioris purulentæ materiæ, nec non ex cohibitis naturalibus excretionibus v. g. Urinæ ſuppreſſione, ex qua HILDANUS aliquando ſphacelum in proprio filio exortum obſervavit.

§. XVIII.

Ex ordine rerum *præternaturalium* denique variæ etiam ſuppeditantur cauſæ ſphacelum accelerantes & promoventes, quales inprimis ſunt morbi quidam ſanguinis maſſam non ſolum in univerſum nimium depravantes, ſed & particulares hujus humoris ſtaſes hinc inde excitantes, ſicque poſtmodum putridam talem corruptionem ibidem inducentes. Ejusmodi autem morborum multi equidem dantur, ut ex Practicorum ſcriptis abunde patet, ſed cum ſingulos eos hic loci recenſere mei non ſit inſtituti, hinc paucis tantum illorum mentionem feciſſe ſufficiet, ex quibus *ſphacelum ſcroti* ſecutum fuiſſe per experientiam novimus. Agmen inter hos ducit *hydrocele* partim ſimpliciter, partim ex prægreſſo hydrope aſcite & hinc pendente nimio ſeri decubitu ad ſcrotum ſuborta, ubi ſæpius, ob ingentem partis hujus diſtenſionem, cohibitam humo-

rum circulationem, & extinctum calorem nativum putrida corruptio ibidem ſucceſſit, qualia exempla inter alios recenſent STALPARTUS van der WIEL *Obſerv. rar. Cent. I. Obſ. 85.* HILDANUS *Cent. I. Obſerv. 48. & Cent. V. Obſ. 77.* DAVID LIPSIUS *Tr. de Hydropiſi pag. 20.* TIM. à GÜLDENKLEE *Lib. VI. Caſ. 32.* aliique. Huic ſuccedit *Lues venerea*, ex qua in juvene quodam ſcrotum ſphacelatum obſervavit PANAROLUS *Obſerv. Med. Pentec. I. Obſerv. 25.* Ex metaſtaſi, poſt *febrem malignam*, nulla externa cauſa prægreſſa, totum ſcrotum cuidam ſphacelo correptum & emplaſtro Saturnino reſtitutum fuiſſe refert JOH. FRANCUS *Tr. de Herb. Alleluj. Cap. 5. p. 222.* Confer. etiam SENNERTUS *Lib. V. Prax. Part. II. cap. 19. p. 259.* Ex *contuſione* aut actuali *læſione ſcroti* ſphacelum ejusdem inductum fuiſſe commemorant HILDANUS *Cent. II. Obſerv. 82. &* JOB. à MECKERN *Obſerv. Med. Chirurg. Cap. 27. p. 119.* quibus noſtri etiam ægrotantis ſphacelum ex ſimili, ſuperficiali equidem, ſed diuturniore ſcroti inter equitandum concuſſione & contuſione, indeque facta humorum ad illud copioſiore collectione, exortum, accenſere licebit.

§. XIX.

Commemoratis ita cauſis ſphaceli, methodus nunc jubet ejus quoque ſubnectere *prognoſin*, in qua, cum tanta ſit atrocitas & malignitas hujus mali, ut niſi cito ſtatim impetus ejus refrænetur, pars affecta non ſolum certiſſime interitura, ſed & putredinoſæ ſuæ corruptionis contagio vicinas inſimul partes comprehenſura ſit, parum vel nihil fere ſalutare prædicendum reſtat: Sphacelus enim jam jam perfectus & completus diffi-

cil-

cilime curatur, ob ſummam ſuam ferocitatem & progrediendi celeritatem, quam præcipue in partibus mollioribus & ſanguinis commeatui liberius patentibus exerit; hinc Medicus pariter ac Chirurgus prognoſin in hoc malo formantes, proſpiciant ſibi neceſſe eſt, ne plus forſitan auxilii promittentes, quam in poteſtate artis ſitum eſt, ſe ſuamque artem malevolorum ludibrio turpiter exponant, & CELSI potius monito auſcultent, qui inter alia ita ſcribit: *Eſt prudentis Medici, ubi gravis metus eſt in morbis, indicare neceſſariis, periclitantis in difficili rem eſſe, ut, ſi victa ars malo fuerit, vel ignoraſſe, vel fefelliſſe non videatur, vel, ſi mori contingat laborantem, Medicus occidiſſe credatur, quem ſors dira peremit.* Tria igitur exquiſitè prædicturus Medicus circa truculentum hunc affectum obſervare debet, *tempus* nimirum *morbi*, *vires patientis* & *partem affectam*; ratione prioris utique major ſemper ſpes ſalutis affulget, ſi *ſphacelus in fieri* ſeu *incipiens* tantum ſit, inprimis ſi corruptio putredinoſa nondum profundius partem affectam teneat & obſideat, ſed in ejus ſuperficie magis, cute nimirum & carne hæreat, haud tamen inſigniter nervos, tendines, vaſa & ſolidiores partes occupet. quam ſi diutius duraverit, ultrâ jam progreſſus fuerit, atque veneni in modum adjacentes etiam partes infecerit.

§. XX.

Quoad alterum prognoſcos fidæ ac certæ requiſitum, *virium ægrotantis* nempe *conditionem*, probe attendendum eſt, an Natura adhuc motus ſuos vitales vegete, inprimis circa partem affectam, continuet, an vero nimium quantum trepidet & ſub tali anxietate illos negli-

gligat; in poſteriori enim caſu nulla fere ſpes eſt reſtitutionis, in priori vero aliqua ſaltem adhuc affulget, quoniam exempla quædam licet rariſſima inter Obſervatores proſtant, ubi principium vitale, præſente jam jam actuali ſphacelo, in partibus adhuc integris cum motibus ſuis conſvetis imminenti putredini maſcule ſe ſe oppoſuit, eoque ipſo obtinuit, ut pars ita mortificata, quæ nulla amplius arte reſtitui poterat, per inſperatam, modo ſpontaneam & autocraticam, modo generoſorum medicamentorum ope acceleratam, ſeparationem, à vivis remota, & ita præſens jam jam putredo iterum expugnata fuerit, quale quid inter alios de quibusdam ſubjectis referunt BARTHOLINUS *Hiſtor. Anatom. rar. Cent. I. Hiſtor. 69.* CATTIERIUS *Obſ. 14. & M. N. C. Dec. I. Ao. IV. Obſ. 178. & Cent. V. Obſ. 82.* Sed cave, ne ſub his circumſtantiis à particulari ſtatim ad univerſale concludas: Non enim cuilibet licet adire Corinthum.

§. XXI.

Ratione *partis affectæ* denique inprimis ad ejus dignitatem & ſitum reſpiciendum eſt, quoniam harum quoque circumſtantiarum reſpectu periculum ſphaceli variare ſolet: Partium enim internarum ſc. viſcerum ſphacelus ſemper & ubique abſolutè lethalis eſt, ob defectum applicationis congruorum auxiliorum; externarum vero necroſis interdum paulo facilius medelam admittit, inprimis ſi in partibus ſolidioribus, ſiccioribus ac robuſtioribus, quæ putredini non ita citò obtemperant, occurrerit; ſi vero molliores & laxiores illæ fuerint, ut gingivæ, palatum, nares, aures, pudenda, oſculum

lum matricis, &c. itidem difficulter curationem admittit, quemadmodum etiam ſphacelus in tibiis & *ſcroto* occurrens, ſi præprimis ſubjecta hydropica fuerint, ob partium laxitatem, ægrius plerunque curatur, niſi ſtatim ab initio congrua adhibeantur remedia, quibus illum ſæpe feliciter extirpatum fuiſſe per experientiam novimus, quemadmodum etiam id ægroto noſtro, cum ſummo ejus & uxoris gaudio contigit.

§. XXII.

De reliquo probe etiam hac occaſione inculcandum eſſe duco, quod in Diagnoſi non omnis ſcroti inflammatio & huic ſuccedens coloris in fuſcum & ex rubro nigricantem colorem mutatio, ſtatim pro ſphacelo imminente, & in Prognoſi pro ſigno abſolute lethali venditanda ſit: Evenit enim ſæpius ut in variis morbis, maxime febribus malignis, ſi exanthematum eruptio difficulter ſuccedat, genitalia unacum partibus vicinis obſcuro tali rubore ſuffundantur, qui vero poſt aliquod tempus, obtenta per blandiora bezoardica materiæ malignæ excluſione, in totum iterum evaneſcit, nec ullum vel gangrænæ vel ſphaceli indicium poſt ſe relinquit, prout hoc optime demonſtravit & peculiari exemplo confirmavit Doctiſſ. KELLNERVS *in Annal. Med. Phyſ. Wratislav. Ao. 1725. Menſ. Jun. pag. 649.* Confer. etiam TILINGIVS *in Tr. de feb. petech. Sect. I. cap. 13. pag. 218.* Craſſam igitur ſuam ignorantiam ſatis abunde prodidit ſervilis & infelix iſte Stahlianarum hypotheſium imitator, qui in practico ſuo collectaneo, non tam Medicorum, quam Empiricorum in uſum propalato, indiſcretim omnem in genitalibus apparentem

D ob-

obſcure rubicundum colorem pro ſigno inſtantis mortis venditavit lethalibusque prognoſticis annumeravit, cum tamen per experientiam abunde jam liqueat, quod nec ipſa gangræna & ſphacelus genitalium, quales affectus alias plus in receſſu habent, quam ſimplex ejusmodi mutatio coloris, ſemper & ubique periculoſum atque lethalem ſortiantur exitum.

§. XXIV.

Quodſi ergo ad ſalutem tendit ſphacelus non usque adeo conſummatus, tunc cognoſcitur illud inprimis, quando poſt applicationem conſuetorum generoſiorum medicamentorum omnia tolerabiliora apparent, ſymptomata graviora ſucceſſive evaneſcunt & ægri tam in moralibus quam vitalibus ad priſtinam activitatem redeunt; ê contra vero mortem ſubſequentem tunc demum præſignificare licet, quando medicamenta omnia propinata & applicata nihil plane levaminis afferunt, omniaque potius in deterius ruunt, ſymptomata magis magisque ingraveſcunt, pars affecta undique atra nigredine perfunditur ac penitus cadaveroſum de ſe ſpargit fœtorem, ſudor frigidus ê toto corpore prorumpit, ægerque continuo ſingultu, agrypniis atque deliriis defatigatur, & lipothymiis ac ſyncopticis affectibus frequentius tentatur, quibus dein tremor & horror partium ſuccedit, totamque ſic ſcenam lethali exitu claudit. De reliquo ex iis, quæ hactenus de indole & cauſis ſphaceli dicta ſunt, ſufficienter nunc apparet quod *ſphacelus ſit corruptio putredinoſa plenaria cum caloris, motus, ſenſus & vitæ ablatione omnimoda, in aliqua corporis vivi parte præviam gangrænam paſſa, quæ ſoli-*

darum

darum & fluidarum ibidem partium ſubſtantia & mixtione penitus deſtructis, repentino progreſſu in reliquas adjacentes ſeſe diffundit, totiusque œconomiæ vitalis interitum non raro poſt ſe trahit.

§. XXV.

Therapia tandem periculoſiſſimi hujus affectus ſequentibus potiſſimum nititur indicationibus: I. *Ut repentinus corruptionis progreſſus inhibeatur & portio corrupta tempeſtive removeatur;* II. *Activitas motuum vitalium in parte affecta & reliquo corpore excitetur & conſervetur;* III. *Læſio hac ratione inducta convenienter reparetur & conſolidetur.*

§. XXVI.

Pro *prima indicatione* impetranda in noſtro ægro, ſtatim ubi vocatus eram, commendavi epithema ex Lithargyr., Ceruſſ. Myrrh. Bolo rubr. ⊕tro & Camphora, cum dimidia vini albi & ✠ti parte paratum, quod poſtquam calide cum quadruplicato linteo, probe antea expreſſo, diligenter applicatum fuiſſet, tandem effecit, ut intra decem horarum ſpatium ingens iſte tumor ad maturationem devenerit, atque tunc ex inciſione, mediante ſcalpello, in inferiori ſcroti regione facta, plus quam libra una materiæ purulentæ fœtidæ cum ſanguine ſpiſſo nigricante remixtæ effluxerit, ipſæque tunicæ ſcroti poſt aliquot dies ſponte ſeceſſerint ac deciderint, & eo ipſo teſticuli cum ſuis integumentis & vaſculis ſpermaticis plane denudati apparuerint, quibus propterea Unguentum balſamicum ex Mell. roſat. colat. Thereb. Ven. Vitell. ovor. Liquam. Myrrh. & parciſſima doſi Balſam. Peruv. & Balſam. de Copaiba

paratum, cum teneriori linteo bis quotidie applicabatur.

§. XXVII.

Aliàs in ejusmodi caſibus pro obtinendo hoc ſcopo Medicis atque Chirurgis ſolenne eſt ad infringendum ulteriorem progreſſum putredinis, ſtatim partem adhuc vivam & corruptæ vicinam, ſi illa muſculoſa & carnoſa fuerit, profundius ſcarificare, vulnuſcula iſta, ex quibus communiter guttulæ aliquot ſanguinis nigricantis vel ichoris ſeroſi flaveſcentis prodeunt, lixivio Calc. viv. cum farina lupinorum, aloë atque myrrha remixto, abſtergere, & poſtmodum ſecuriora ſeptica, videlicet Unguent. Ægypt. æruginem leviter calcinatam, Butyr. ♁ii, &c. leniter fricando iisdem ingerere, ut ita partes nondum corruptæ a corroſiva hac eroſione & vellicatione quaſi reſiliant, atque ita tanto facilius à parte jamjam emortua, quæ poſtmodum provide exſcindenda eſt, ſeparentur. Si vero pars affecta nervoſa, membranoſa, tendinoſa & ligamentoſa fuerit, ut profundiores iſtas læſiones citra periculum non admittat, tunc licet harum in locum Decocta & Epithemata ex Rad. Gentian. Ariſtol. utriusque, Valer. Angel. Herb. Scord. Alliar. Cicut. Abſynth. Naſturt. Rut. Card. bened. Salv. Nicotian. Fol. Querc. Laur. Flor. Hyper. Samb. Croco Or. Sem. Sinap. Dauci, Cumin. Naſturt. bacc. Laur. Cort. exterior. Nuc. jugland. Colocynth. ⊖e ✶i, ♆e, ⊕o, Sapone Venet. fimo columbino & caballino, cum lixivio Calc. vivæ parata ſæpius calide applicare, & ſi fortuna arrideat, ut hac ratione ſuppuratio forſitan intra aliquot horas obtineatur, pro hac conſervanda Ungv. Apoſtol. & Baſilic. cum Gummatibus balſamicis aloë nempe, myrrha, ſuccino, &c. remixta per aliquot dies applicare.

§. XXVIII.

Ad *ſecundam indicationem* impetrandam ægroto noſtro ſtatim ſub uſu externorum antea enumeratorum ſimul interne exhibui potiones & emulſiones analepticas cum

▽a

▽a Cinam. Flor. ⊙ant. & Citri, ♌tu Roſar. & Lil. convall. aliisque fragantioribus ita dictis cordialibus paratas, interpoſito ad præcavendos vel leniendos motus febriles, pulvere ex ♁io diaph. C. C. uſt. Matr. perl. pp. Oc. ♋ citrat. Magneſ. alb. Succ. alb. pp. Crem. ♀i ⊕r. cryſtalliſ. ℥i nat. & leni quodam anodyno opiato conſtante. Huic pro variatione ſubjungebam Elixirium ex Eſſ. Cinam. c. Croc. compl. Eſſ. Alexiph. Stahl. Gent. r. Elixir. vit. Matth. & Elix. rediviv. Helmont. paratum, de quo ſingulis tribus vel quatuor horis gtt. xxxv. cum vino Gallico propinabantur; nec non Infuſum Theeforme ex Rad. Cariophyllat. Valer. Conſolid. maj. Herb. Veron. Naſturt. Ind. C. B. Flor. Papav. rhead. Cort. Cinam. ⊙ant. Citr. Lign. Saſſafr. & Junip. concinnatum pro lubitu ſæpius aſſumendum.

§. XXIX.

Si partis & regionis affectæ conditio ferant, poſſunt etiam *externe* remedia putredini non ſolum reſiſtentia, ſed & trepidantis Naturæ influxum vitalem ibidem revocantia ad partem corruptam pariter ac vivam applicari, ex quorum cenſu optimum equidem & tutiſſimum eſt 🜍 Cinamomi per ſe ita illinendum, cujus generoſum & egregium effectum plures jamjam obſervationes de ſphacelo tali modo curato teſtantur, ſed dolendum eſt, quod inſigne illius pretium frequentiorem & indifferentem uſum haud admittat; quapropter in defectu ejus convenit Eſſentias conſuetas balſamicas, veluti Eſſ. Myrrh. Aloes, Succin. Abſynth. Scord. Cent. min. Ariſtoloch. rot. Card. ben. & Gent. r. aut ſolum & ſimplicem 🜄ini rectificatiſſ. linteis exceptum ſæpius applicare & ſimul, pro avertendo ulteriori impetuoſo humorum affluxu, in confiniis portionis corruptæ, ubi inflammatio gangrænoſa adhuc viget, Cataplaſmata reſolventia, roborantia & tonica nec non 🜄ini camphoratum adhibere, eaque ſedulo continuare, donec laudabilis ſuppuratio in parte affecta appareat.

 §. XXX.

§. XXX.

Tertiam denique *indicationem* in noſtro ægro per ſolum butyrum caprillum non ſalitum cum Ceruſſa remixtum, bis vel ter de die tepide applicatum, quia reliqua omnia conſolidantia & repurgantia medicamenta nimios ipſi dolores excitabant, abſolvere mihi contigit, dum intra trium ſeptimanarum ſpatium tandem nova cutis ex pene & perinæo ſuccrevit, ſcrotumque ſic perfecte teſticulis iterum circumdatum fuit. Alias, ſi impetrata maturatione & ſuppuratione pars ſphacelata rite ſeceſſerit, parsque affecta carnoſa magis & muſculoſa fuerit, conveniunt tandem conſueta remedia mundificantia, balſamica & conſolidantia ex Gummatibus & Balſamis exoticis parata & vel in Emplaſtrorum, vel Linimentorum vel Eſſentiarum forma applicata, quo nomine inprimis Eſſ. vulnerar. Stahlii reliquis omnibus hujus farinæ medicamentis palmam ſi non præripit, ſaltem dubiam utique reddit. Quodſi interim ſphacelus jam conſummatus fuerit & corruptio ad ligamenta, tendines, quin ipſa oſſa penetraverit, ut ita nulla ſpes ſuperſit illam per hactenus recenſita medicamenta cohiberi poſſe, tunc, ſi partis affectæ conditio permittat, unicum tantum adhuc ſervandi corporis remedium reſtat, membrum videlicet putridum a ſano reſcindere ac extirpare, quod, licet a multis ob crudelitatem apparentem rejiciatur, minime tamen propterea omittendum eſſe cenſeo, conſultius cum CELSO exiſtimans, anceps auxilium experiri in re gravi, quam nullum. Qua vero ratione & methodo ejusmodi amputatio partium ſphacelatarum inſtituenda ſit, hic loci demonſtrare nec lubet nec licet, cum ad noſtrum ſcopum illud haud requiratur, adeoque Chirurgorum libri deſuper potius conſulendi erunt.

TANTUM.

S. D. G.

(o)